ria de spiritu sancto generaverit Christum, et Ioseph a generatione Domini
videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrue
ret scripturarum, quae semper viri originem quaerit. Sic enim habes: Fa
res fuit filius Iuda principis [al. princeps] tribus. Hic generavit Esrom, et Es
rom generavit Aram, et Aram genuit Aminadab. Et Aminadab
generavit Naason, et Naason generavit Salmon. Et Salmon
generavit Booz, et Booh generavit Obeth. Et Obeth generavit
Iesse, et Iesse generavit David. Viri enim persona quaeritur, qui et in sena
tu et reliquis curiis civitatum generis asserit dignitatem. Quam de
forme autem si relicta viri origine origo feminae quaereretur,
ut videretur patrem non habuisse ille totius mundi populis praedican
dus. Sed et alibi diverso ordine generationem docemus esse de
cursam, ne hic quoque euangelistae discrepare videantur, qui veterem ordi
nem sunt secuti. Sic enim habes: Fuit homo ex Armath et nomen eius Hel
chana, filius Ieremihel, filius Heli, filius Thohu. Vides et a patribus ad fili
os et a filiis ad patres originis descriptione veteri more cantatam (?)
... Vides ubique familiam per virorum generationes esse decursam. No
li mirari si Matheus ab Abraham usque ad Ioseph, Lucas a Ioseph
usque ad Adam et Deum generationum ordinem percucurrit. Noli mi
rari quod Ioseph origo descripta est. Etenim secundum carnem natus u
sum debuit sequi carnis, et qui in saeculum venit saeculi debuit more de
scribi, maxime cum in Ioseph origine et origo sit Mariae. Nam
cum vir iustus fuerit Ioseph, utique ex tribu sua et ex patria su
a accepit uxorem, nec potuit iustus facere contra id quod lege prae
scriptum est. Sic enim habes: quia unusquisque in hereditate tribus suae
patriae adhaerebunt filii Israel, nec de tribu ad tribum transibunt,
et omnis filia quae habet hereditatem tribuum filiorum Israel uni ex populo
ex tribu patris sui erit uxor. Itaque et census tempore ascen
dit Ioseph de domo et de patria David, ut profiteretur cum Maria
uxore sua. Quae ex eadem domo et ex eadem patria professionem

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 70 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/it/sbe/0166/70)